Rogatii Zachariae: Mnemosynon encomiasticon in funus Ill. ac Magn. D. D. Jacobi a Gawroni Pretficii etc.

Crac. in off. Simon. Kempinii
1613.

MNEMOSYNON
ENCOMIASTICON
IN FVNVS.
ILLVSTRIS AC MAGNIFICI DOMINI, D. IACOBI A Gawroni PRETFICII, Palatini Podoliæ, Trębowlensis &c. Capitanei, Hæredis in Sarawca &c.

A
ZACHARIA ROGALICIO Artium lib: Magistro, & Phil: Doctore, factum.

Pridie Idtium Maij Año D. ∞. DC. XIII.

CRACOVIÆ.
In officina Simonis Kęmpinij. Anno Domini, 1613.

Æternùm in omnibus viuit, qui bene vixit.

PRetficius cecidit, dolor est tibi? quis dolor anné
Rêre mori, virtus quem tulit alma sibi?
Viuus virtutem coluit, sic viuere cœpit:
Deseruit mundi paucula; & omnia habet.
Omnia si Deus est: si sunt simul omnia cœlo;
Iam Deum habet, Polum habet. Plura quid?
(omnia habet.
Viuere quisquis aues, quisquis cupis omnia habere.
Viuere virtuti, viuere disce Deo.

Paulus Vchanski
C. V.

ILLVSTRIBVS ac GENE-ROSIS DD. RAPHAELI V-CHANSKI à SLVZOW, & PETRO Dulſki Raigroden. Capitaneo, D. & Patronis obſeruandis, S. & omnem promptitudinem dicit dicatq́;

IVSTA FACIO RE AC VERbis Illuſtres & Generoſi D. Perilluſtri viro Jacobo Pretficio Palatino Podoliæ, & vero Parenti veſtro, meoq́ꝫ Patrono Parento. Certè enim meruit. quia nunquam in illo rectitudinem Reſpu. aut conſtantiam deſiderauit: nunquam nos alij amorem; alij auxilium. Honeſtum ille, & famam ita amauit, vt, ne ſecum deſinerent etiam proſpexerit. Ego reuera ingenij mei tenuis quidem, at ſempiterni monumentis facio; & habebit Non Muſis quæſitum nomen ab æuo

Excidit, à Muſis ſtat ſine morte decus.

Viuum ego illum Heroëm ſuſpexi: auocati à nobis ad meliorem vitam; neq́ꝫ enim extincti, quia virtus neſcia mori

Intaminatis fulget honoribus.

piâ memoriâ Manes proſequor: & vobis quem vidiſtis, quem amâſtis, quem ſuſpexiſtis, iſtud quicquid eſt ingenij do dicoq́ꝫ ab hac prima cauſa. Alteram addo, quia vos mihi Pa-

tronos aut Tutores in locum euocati sufficio, & valdè vrgeo, in viâ cœptâ adiutum me prouectumq́ue velitis. Fauete Viri Nobilißimi, & quem ille viuus amauit in viuis, amantem vestri & vestrorum amate, dirigite in vestrum & Publicum Bonum, vná cum memoriâ sacratâ in memoriam vestri amantis, leui quidem; sed vobis debita: & me qualem ostendi erga vos, & Nobile vestrum genus esse, atq́ue in æuum fore seriò credite. Seriò dico, ero, non ero, vester ego viuus mortuusq́ue. Valete Viri Nobilißimi, & feliciter diu viuite, III. Idus Maij. Anno Domini M. DC. XIII.

Æternus cliens

Zacharias Rogalicius, Art: Lib: Magister, & Philos: Doctor.

MNE-

MNEMOSYNON ENCOMIASTICON FVNEBRALE.

Gratus sum in eius morte decoranda, cui nullam ampliùs gratiam referre possum.

LVctum publicum ferali pompâ Viri Nobilissimi pio affectu, non more, in morte, magni, & perillustris *VIRI JACOBI PRETFICII* Palatini Podoliæ facimus. Quem enim viuum suspeximus, è viuis expuncti Manes memoriâ prosequimur, & verè

diuini oßa parentis

Condimus

terrâ, simulq; quidquid nobis, lętum aut volupe fuit condimus. Scilicet ille æternum est nobis, æternum ô Polonia tibi funus. Tu etenim Virum, consilio atq; manu Principem, Senatorem vigilem, fulcrum in tuis rebus afflictis validum amisisti: nos alij patrem, alij patronum perdidimus. Vixit ille, vtinam diutiùs vixisset! quippe in tuo ô Patria mea discrimine, suum

ille diſcrimen cenſuit,& in tua ſalute ſuam ſalutē: pro te non excubias modò egit; ſed etiam toties laterum oppoſitus: nos verò alios vehementer amauit: alijs bene fecit, bene voluit. O deſiderium extincti! Habuimus Pretficium virum in quo cum priſcâ doctrinâ priſci, mores, Publici Boni, & noſtri amantem, & amiſimus: amiſſum libenter emeremus prece & precio, rurſusq; noſtrum faceremus. Sed enim ille abijt vnde neminem fas redire; abiit inquam, neq; enim obiiſſe potuit, quem

ardens euexit ad æthera virtus.

Quia tamen abiit nos in ſquallore, mœrore, atq; lacrymis reliquit.

Ferite palmis pectora, & planctus date.

Reuera enim gratæ nunc pietas obire mentis, ſuadet officium mœſtâ voce. quippe accepto tam graui vulnere in tam dubiis, ac formidoloſis noſtræ Poloniæ rebus, immanem quandam duritiam reor, non flere, non commoueri. Cæterùm quia vanus & irritus hic iam noſter luctus; ſiquidem rei pręteritæ is mos, vt infectam reddere ne Diis quidem eſſe in manu dicatur: imò forſan & impius.

Quidquid patimur venit ex alto;

& ille abiit quò omnes imus; potiùs hunc ipſum luctum dico, atq; dolorem gratâ, & breui memoriâ virtutum, ac laudum noſtri Pretficij leuemus. Profectò rerum ab ipſo pręclarè geſtarum recordatio, & ſolatio nobis erit, & in noſtra ſpe nos confirmabit, vt nempe

nempè non ablatum à nobis, ſed à Deo benigno ad meliorem vitam euocatum credamus. Ego Patrone optime non dubitanter facio, & in morte tuâ decorandâ pietatem meam probo, breui quidem, & non laborato ſtilo, potiùs, quàm ſilentio: vos Viri Nobiliſſimi adfectum excipite; ſed veſtrum miſcete, qui vidiſtis, qui amâſtis Pretficinm, & quibus ille bene voluit, aut fecit.

Originis atq; ſanguinis vim & virtutem aliquã eſſe, ego cenſui & cenſeo, omnisq; ſapiens mecum. Sunt namq; naturâ nobis inſiti quidam ignes, & ſemina quibus excitamur ad ſplendorem maiorum, atque ipſam virtutem. Vates ab Helicone à me eſt:

Nec virtus citra genus eſt.

ait ille: à me ſapiens Ariſtoteles, generoſum nempe cenſet, qui ab origine naturâq; ſuâ non deſciuit. Talis Pretficius noſter fuit. accepit quidem lucem à maioribus, ſed ei maiorem addidit ſuâ pietate, & probitate. Genus illi Pretficiorum nobile & antiquum è Sileſiâ oriundum, & noſtri Regni, multis abhinc annis, vel pręcipuum, conſilio & manu fulcrum. Bernardus enim Pretficius nomine & amore Poloniæ incenſus, famam apud poſteritatem quęrens, in Poloniam venit, & lucem in eius luce inuenit. Nimirum prudens, &

clarus Marte Togâq;.

manu prudentiâ, atq; conſilio celeri, & ſalubri, Bono Publico vſui fuit: bella pro ſalute eius frequenter

ſuſcepit, & feliciter perfecit: barbarorum impetus ſtrenuè ſuſtinuit, atq; compreſſit. Rem vobis dico Viri Nobiliſſimi flagellum, & terror ille fuit crudorum Scytharum. nunquam enim ſiuit illos æquitare inultos, aut è finibus Regni prędam abigere, ipſe toties ex illis prędam tulit, toties talium copias à fluuio Tyrâ & campis, Ocecauien: & Bialogroden: pepulit, & diſpulit. Nec id ſatis:

In uia virtuti nulla eſt via.

Barum oppidum diues & illuſtre Reginæ Bonæ ſenſu & aſſenſu condidit: extremos Podoliæ fines villis exornauit, ac frequentiâ hominum; atq; ita olim ferarum latibula; nunc fecit hominum domicilia: & loca inuia olim, peruia omnibus reddidit. Hercules (vt fama eſt) columnas hîc ſuas poſuiſſe non eſt auſus: Bernardus ſidus Pretficiorum, non iam columnas, arces ad terrorem, & incurſus Turcarum Scytarumq; comprimendos erexit. Vir ille, fuit vir, & gloriam non infacili putauit, iuxta illud Poëtæ:

Ardua per durum gloria vadit iter;

& ideo pulchrum cenſuit,

virtutem extendere factis.

vtpote ad illam natus. Fuit enim naturâ fortis, & animoſus: voluptates & omnia vana deſpiciens: pro Bono Publico atq; virtute periculis omnibus ſubiectus. Non hîc libet plura de ipſo adferre, neq; enim poſſum ſoli lucem addere, & Hiſtoria teſtis temporum, ac lux veritatis pro ipſo loquitur: ad noſtrum

Iaco-

Iacobum redeo. qui tantam lucem maiorum ſuorum luci auxit, vt nihil ab eis accepiſſe, omnia attuliſſe videatur. Nec mirum, puer enim adhuc, olim

Grandia laturus meritorum prœmia,

didicit virtutem ex parente,

verumq́ laborem:

Fortunam ex alijs.

Prima & florida ætas ipſi, cum ingenio vernaret Muſarum fuit; ſumma ſapientiæ, & vtramq́; ſubitò fama inſecuta. Nomen videlicet priùs inuenit, quàm quęſiuit; quaſi auſpicio quodam qualis quantuſque futurus aliquando eſſet. Nec id difficile fuit. quamuis enim ſtemmata deeſſent, & longo recuſaſſet

Sanguine cenſeri pictoſq́ oſtendere vultus

Maiorum.

triplici tamen radio: Virtute, Eruditione, Dignitate, verè Pretficius fuit. Nunquam ignaua eſt aut deſes virtus, ſemper laborum ac munerum perfunctione ad alta tendit, & in famâ ac gloriâ eſſe cupit. Vt ſol in aurora, tenuior aſſurgit, & inclareſcit; ſic ex virtute & meritis noſtro Pretficio fama cum æuo ipſo aucta creuit. Videlicet adhuc iuuenem, ſed iuuenem virum ad fortia facta & ad diſcrimina pro patria toleranda traxit,

fax mentis honeſtæ

Gloria.

vt Poëta ait. Et rectè. nam quid aliud in externis? Argentum quidem & pecunia (verba Polybij vſurpabo)

est communis omnium hominum possessio; at honestum & ex eo laus, & gloria Deorũ est, aut eorum qui à Diis proximi censentur. Dictum egregium. alia aliis communia: at bona & magna fama magnis conuenit. conuenit nostro, quia fortiter iuit ad honestam ambitionem & nomen: quod Annalium testimonia celebrant, & posteritati commendant. Excitabatur Themistocles è somno Miltiadæ trophęis: noster gloriâ & virtute maiorum suorum, totas noctes frequentissimè vigil & sine somno egit; sed vnà apertè in campum & lucem prodiit, cum omni alia virtute aut sciẽtia, tum vel potissimùm studio rei militaris: sapientia & doctrina: cultu religionis, atq; pietatis. Et quidem vt ab hoc vltimo lentè tenuiq; passu progrediar. Ab ipsamet ętatis suę iuuentâ, non illi defuit labor in negocio, fortitudo, in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consiliũ in prouidendo. Te hîc apello ô Sapientissime Rex Stephane Bathoreu quid agè in nostro Iacobo vidisti, vt eum Moscouitico, & quidem maximo bello Pręfectum Equitum constitueris? Credo à me stabis: id est, vidisti adolescentis adhuc virtutem, efferentem se, & foras emicantem, admiratusquè adactum sacramento militari in militem, in militum potiùs ducem inaugurasti. Tanta quippe, in eo virtus militaris extitit vno, quanta in multis aut omnibus aliis, quos aut vidimus, aut audiuimus.

Neq; te Phœbi cortina fefellit.

aut

aut potiùs sagax ingenium & subtile iudicium tuum. Miles ille fuit, & dux militarium cohortium.

Moschos feroces
Fudit eques metuendus hastâ
Vitamq; sub dio, & trepidis tulit
In rebus;

sensit inquam horrida Moschouia ipsius vires validas & ingenium in omnia velox & potens: sensit & immanis Scytha acriter ab illo profligatus. Cùm enim Torobum atque Rastauiczam ita obsessam teneret, vt vix illorum seruandorum spes iam ampliùs vlla superesset, generosus ille animus palam se in discrimen dedit, & largo sanguine hostium, repleuit campos. Sed etiam Piatcouia sensit, imò tota ipsa Volihinia à qua plurimas, omnia prædantium militum (Cosacos vocant) turmas fudit, & internecione cecidit. Quid multis? nulla expeditio fuit sine ipso, & in qua non egregiam operam Reipublicæ nauauerit: in qua non ita se gesserit, vt semper inter paucos singularis ipsius virtus enituerit. Primus semper in acie fuit omnem aspernatus fugam, incitus illo effato ex adyto Liuiano: Pulchrior est miles in prælio cæsus, quàm in fuga saluus: & tamen semper illæsus. Qui per virtutẽ peritat non interit ait Plautus. Talis noster quia nunquam imitatus modernũ militem, qui similis Harpyiarum omnia igni, ferro, rapinis, prædatur, & omnem fermè succum, & sanguinem è visceribus patriæ suæ exugit. Miles ille fuit verus,

non

non Martis duntaxat; ſed etiam Mineruæ in omni æ-
tate ſui æui, quia calidè & intentè habuit Muſas. Vidi ipſemet paucis abhinc annis venerationis pleniſſimũ ſenem, & nunquam vidi tam indefeſſum ingenium, & laboris huius Muſici, aut appetens magis, aut ferens: ſemper ille in libris, chartis; noctu, diu; aſſiduus, & accubuus. Sciuit ſanè illud Lyrici Vatis,

Dignum laude virum Muſa vetat mori.

Sed etiam vidit à bonis Muſis omnem felicitatẽ Reipublicæ oriri, & nullam in qua eæ non vigeant florere abſolutè poſſe. Videlicet ab his non ſolùm bene dicendi; ſed etiam bene viuendi, & Boni Publici gubernandi via eſt. Etenim excitant in animis noſtris igniculos gloriæ: ſplendorem virtutis docent: vitij deformitatem edocent: omnis antiquitatis ingenia; induſtriam, labores, vigilias complectuntur, & cogitationes: omnium ſęculorum pręclara conſilia, fortia facta, varios, & ancipites rerum humanarum, & Publicarum, quaſi ante oculos ponunt, euentus, caſus, & occaſus. Palam id in noſtro videre fuit, quia omnia ceu è ſpeculâ quadam acerrimè prouidebat in vſum imprimis publicum. Et quis abnuat? ad rectam illam normam virtutem dico ceu ad Helicen & Cynoſuram totius vitæ curriculum direxerat; & abſque ea genus ſuum nobile & omnem famam, vana putauit. Pręclarè equidem. vera enim Nobilitas ſtirpe virtutis nititur, & dignitas tam diu retinetur, dum in ea eluxerit ſplendor honeſti. Scitum illud Annibalis:

Qui

Qui hostem, ferit is mihi Carthaginensis erit. Simile dico: qui vitia ferit, is mihi Nobilis erit. Fuit noster quia etiam verę & priscę virtutis amans. Mira reuera fuit in eo prudentia, in consilio & actione; incredibilis temperantia & moderatio animi, in omni vitâ, motu, vultu & cultu. Certè inter tot obsequia fortunę non satis cauta est mortalitas. natura educatio, adulatio deprauant multos, at non Pretficium nostrum, qui in omni vita constans extitit ab insolenti lætitia.

Ardua res hæc est opibus non tradere mores.

Et cum tot Crœsos viceris esse Numam.

Martialis de quodam ait: ego ad nostrũ applico. nũquam ille fortunę tradidit mores, caducam & fragilem sciuit; & idcirco quò maior altiorq́; fuit, etiam modestior, & plura benefico illi Numini debuit. Quisquis es nisi sic facias, scito tollere posse, qui tribuit; & euertere qui sublimauit. Sublimauit nostrum Pretficium Deus ille altus, etiam in altum dignitatis gradum. & fecit primò quidem Castellanum Camenecen: deinde Palatinum Podoliæ, non tamen euertit, quia dignus tali fortuna fuit, moderatè eam tulit, & omnia ea ad quæ stupemus, ad Deum ne sibi abstulisset, retulit. Quid ampliùs hæc memoro? Rem certè dico. ne minimùm quidem à recto virtutis tramite deflexit, memor illius Alphõsi Regis Aragoniæ & Neapoleos, vt herbas quasdam ad solis motum, sic populares in Principum mores verti, integrè &

 sanctè

ſanctè vixit. Quid comitatem, affabilitatem aut humanitatem prædicem? vos dicite qui aliquando experti, certè enim tanta erat in eo, vt neminem aut aſpectu arceret, aut alloquio ſuo: omnium poſtulata libenter cognoſceret: nihil denegaret iuſta petentibus; & ſi quid negare cogebatur, ſemper ea lenitate vſus eſt, ſermonis, vt quibus negabat, æquos à ſe placatosq; dimitteret. Iam liberalitatem eius multis, & priuatim, & publicè ſalutarem fuiſſe conſtat. multorum ſanè ille ſuis opibus ſubleuauit inopiam: multorum fuit quaſi communis parens. Reuera enim

Extra fortunam eſt quicquid donatur amicis,
Quas dederis ſolas ſemper habebis opes.

habet noſter in plurimis, è quibus vos ô Generoſi Viri Roſcoui & Sulcoui abundè eius Magnificentiam experti, teſtes eſtis. Fuit ille multorum parens, fuit meus patronus ſingularis, & verè dicam pater; ſed etiam pater Patriæ. Quis enim neſcit eum in Podolia per plures annos Bona noſtra, direxiſſe, defendiſſe, propagâſſe? idq; eâ curâ & induſtriâ, & quæ propria eius laus eſt, prudentiâ; vt exemplum à nemine accepiſſe, poſteris tradidiſſe, ab æquis peritiſq; arbitris iudicetur. Etſi arbitrio aut teſtimonio quid opus? res vociferatur, & Podolia confuſa ante, aut tenebroſa, vbi ſibi illud ſuum lumen affulſit, mutata in melius, antiquam iam pietatem & felicitatem ſpondere ſibi auſa eſt. O Regio

Rebus opima bonis, multâ munita viri vi.

faue-

fauemus tibi; sed vnà illud idem sidus ad nos traximus, consilium & auxilium in rebus nostris turbatis, dicam, an desperatis? ita est sanè. Cum enim homines quidam maioris animi, quàm consilij, Bonum Publicum turbarent, & struerent perniciem, tibi ô Polonia mea, tibi ô Rex prudẽtissime Sigismunde, instructus milite lecto, & copioso adfuit: praua illa & nouitia opiniorũ pepulit: calamitatẽ & cladẽ nõ Poloniæ duntaxat; sed Europæ monuit, docuit, persuasit. Et quidẽ haud difficile. vis ingenij & oris adfuit: auctoritas simul & comitas: illa venerabilis, hæc amabilis; & nescio vtra efficacior ad mouendum, & trahendum: imo ista quâ ille sic vsus, vt in omnium animos se insinuauerit, & gratiâ impetrauerit quod non vllâ re alius cogat. Scilicet post illas tempestates suo consilio magna ex parte

disiecit nimbos, Solemq; reduxit

Atq; suo Zephyro spirauit mitior Auster.

Meherclè mirum in modum patriam, & eius salutem dilexit, &

Pulchrum ac decorum pro patria mori.

putauit; sed quia sine morte potuit, fecit dictis & factis, Iure illud hîc vsurpem Martialis:

Nolo virum facili redimat qui sanguine vitam,
Hunc volo laudari, qui sine morte, potest.

etiam ego nolo secundâ oratione diutiùs hæc attollere: & fateor oneri me non subsistere: breuis pollicitus, breuiter eius fortitudinem in prosperis & ad-

 uersis

uersis innuo: breuiter iustitiam in priuatis & publicis, & vel maximè pietatem & religionem. Reuera enim hac in re mēs illi vbiq; bona; & fuit ex illis quibus pietas magis in corde quàm ore; quiq; factis exerceri eam acriùs maluit, quàm verbis. Et hinc est quod Numen illud diuinum per verum de eo sensum, verum in id cultum venerationemq; aduersus impuros hæresis fœdissimæ Gigantes constanter assertum iuerit. Nam & ipse omni modo, omni tempore, eâ viâ quâ decet, & quam lex Christiana permittit, ritu & more prisco coluit, & vt alij colerent effecit. Vis maiorem fidem? Amplissimam atq; ornatissimam ædem, illi, in oppido celebri Sarauuca extruxit, magnificentissimeq; dotatam Viris Religiosis sub ordine & Familiâ Diui Dominici, sub ordine inquam sacro à tot iam annis cum sensibus aut dissensibus qui sunt ab Orco fortiter pugnante, & feliciter vincente dicauit, qui in ea tibi, ô æterne *DEVS* in omni æternitate, quotidiè facerent laudes, & grates. Seriò illud cogitauit, & imbibit, nimis pium ab impio Poëta dictum:

Dij multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosæ;

& ne Poloniæ nostræ euenisset, cauit. Cum Religione, omnis Respublica floret, aut cadit. Priscam veramq; ex pio sensu Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ tenuit, quia ab illa vinculum est rerum & societatis Publicæ: innouatam aspernatus est, quia ab hac

ab hac omnes tumultus & dissidiorum faces; imò magnum imperijs & sceptris periculum. Altè hoc imprimite nouarum rerum noui turbatores; & vix in Bonum Publicum peccatis. Quicquid mali patimur per vos est. Multos quippe per speciem pietatis ad mutationem rerum ducitis, &

Diespiter

Frequenter incesto addidit integrum.

Caue ô Rex Sapientissime Sigismunde, cauete Principes & Ordines Regni. nihil in speciem fallacius quã praua Religio, & ea varia. multas hęc Respublicas turbauit, & euertit, cauete dico, qui saluam vultis Poloniam, & eos qui in diuinis aliquid nouant, odio habete, & coërcete. Ita semper in om̃i Republica bona factum, & fiet. Quis finis, si semel carceres hôs aperitis, aut iam apertos non clauditis? nulla in re libentiùs aut periculosiùs (vt est mens humana) luditur, quàm si assiduè fanaticus aliquis, aut simulator pietatis moueat Chordas non mouendas. Apud omnes gentes tales coërciti & puniti. Græcos videte reperietis Socratem & Protagorã damnatos: Anaxagoram & Aristotelem accusatos ob nouitatem in Religione. Abite ad Romanos, par cura & seueritas. Patrum auorumq; ait Liuius, ætate negocium Magistratibus datum, vt sacra externa fieri vetarent. Conijcite oculos in Iudæos, ita hîc duri, vt, nec cohabitationem admitterent cuiusquam à Patriâ Religione dissidentis. Quid in Ecclesia nostra veteri? licentia effusa nun-

quam fuit, quàm primùm Principes & tutores illa habuit Christianos. Constantinus tibi exemplum esto, cuius leges & scita sunt in Arianos. Fuit, fuit semper coërctio, in nouatores Religionis pro tempore, astricta magis aut remissa: pro sectâ, lenis, aut seuera. nulla apud nos in miseranda Patria nostra, negliguntur leges & pœnæ in tales à Diuis Regibus sancitæ. Omnibus effusè

ad currendum carcer apertus,

quot capita, tot in Religione sensus; & ideò nisi iuuatis iam labimur cum eâ, aut ruimus. Agitè per Deum immortalem, & amorem Poloniæ, quæ fidem vestram implorat, si tranquillitatem atq; integritatem eius saluam vultis, tollite ferro & igni instar Herculis capita renascentis Hydræ: tollite istos multiplices sensus, & vnum facite: vnam exẽplo nostri Pretficij Romanam, quæ sola vera & pura est Religionẽ colite, quam ille semel à maioribus acceptam integrè seruauit. Sic enim beneficum illud, & propitium Numen, amicum vobis experiemini. expertus noster Pretficius. Etenim Deus ille benignus, quem ille piè coluit, semper sibi adstitit, amicè rexit, atq; direxit; etiam externâ felicitate auxit. idest, in Collegiũ sanctissimi Senatus adsciuit. O Virum tali fortunâ dignũ

Qui consulta patrum qui leges iuraq;.

seruauit. verus Senator fuit, quia fidus, quia rerum hominumq; peritus salutaria suggesit pace, siue bello; & suggesit fortiter. Non enim cum fortunâ

potiùs

potiùs Principis collocutus, quàm cum ipſo; ſed tamen cum temperie. Quia non inconſtantis eſt ſententiam tanquam aliquod nauigium è Reipub. tempeſtate moderari. certè verè prudens & ſapiens non ſemper it vno gradu, ſed vnâ viâ. Quia flexu quodam opus ſæpe, & obliqua viâ eundum, quò non licet rectâ. vtinam in hac altâ, & aliâ virtute plures illi ſimiles, qui gradu ſimiles! ſemper ille inquieti obuiã iuit, & in quiete, aut ſubductione aliorum, manum periclitanti Reipub. porrexit. Omnino, in ipſo illo Poloniæ confinio tanquam in quadam arce & propugnaculo Vir fortiſsimus ad ſuſtinendam & propulſandam barbarorum immanitatem, atq; etiam ad agendas pro nobis omnibus excubias, fuit conſtitutus. Sed agitè Viri Nobiliſsimi, ſicciné effuſus properem? Deſino. quia & eloquio deficio, & vobis pro ſolatio renouo dolorem; renouo etiam mihi,

Multis ille quidem flebilis occidit,
Nulli flebilior quàm tibi,

ô Polonia. quàm nobis. Amiſimus enim Virum magnum: amiſimus amatorem & propugnatorem, quaſi qnoddam tutelare Numen Poloniæ, noſtriq́ue: Pretficium illuſtrem, vt Numam aliquem, aut Lycurgum ſacris humanisq; rebus: pacis belliq; artibus mixtum, ac idoneum, & omnia feliciter atq; induſtriè obeuntem, amiſimus. O dolor, ô lachrymæ, adeſte: voluptas, & lætitia abeſte. Superſtite tanto Viro vita nobis fuit iucunda: nunc contra grauis. Tantumné

tumné ô mors efferata tibi iuris datum? Quid? an- non alia vberrima tibi fuit seges; & quidē inutilis regno, inutilis nobis? At paulisper tecum sint induciæ.

Tibi crescit omne
Et quod occasus videt, & quod ortus.
Tibi mors paramur
Sis licet segnis, properamus ipsi.

Neq; tu spernis.

Mam magnos paruosq; feris: nam fortibus æquas
Imbelles, populisq; Duces seniumq; iuuentæ.

Omnes ibimus, præiuit ecce nobis noster Pretficius longiori vitâ dignus. Sed enim ita nihil hîc summum diu consistit; & qui humanū fastigium excessêre animi, vti cœlo proximi, ita citò ad illam beatitudinis ædem, & lubenter transeunt. Transiit Pretficius; sed etiam nostrum dolorem atq; luctum iubet transire, quia à letho lætari, vt speramus & piè vouemus, cœpit. Faciamus quod ille optat: id est virtutem eius imitemur: memoriam colamus; & calidè atq; candidè si egeat iuuemus; simulq; nos simili accingamus itineri, vt cùm Deus arbiter vitæ necisq; euocauerit læti sequamur.

Scripsi & planxi.

Epithaphium eidem.

Viator
Quiſquis es vide
Rerum humanarum caſum, & occaſum
mirare.
JACOBVS PRETFICIVS à Gawrony, hæres in Sarawca, Palatinus Podoliæ, Capitaneus Trebowlen. &c.
hîc quieſcit.
Gente nobiliſsimus, opibus plurimus, famâ optimus, animo præſtantiſsimus; ſed etiam
Stirpe,
Virtute,
Eruditione,
Dignitate,
Maximus & Clariſsimus
Talis & tantus,
Heu hîc quieſcit.
Libertatis amator, & Patriæ. à primâ iuuentâ magnus in armis
Externis & ciuilibus.
Inuidiâ fruſtra inuidente charus ſuis
Amabilis omnibus vixit,
Et mortuus hic quieſcit.
Tu, vt feliciter quieſcat,
Apprecare.

Staniſlaus Sulkowski
Mæcenati ſuo P.

storia Eccl. Pol.
Dioecesis Cracoviensis
1775.

Soltyk Cajetan Ignatius: Prohibitio gestandorum distinctoriorum per Canonicos grattiales.